PÖETICAM VETEREM ROMANAM

ÆQUE AC GRÆCAM
CLEMENTISSIMIS AUSPICIIS

FRIDERICIANIS

IN ILLUSTRI
CHRISTIANALBERTINA,
PRÆSIDE
SEBASTIANO KORTHOLTO,
PÖES. PROFESS. ORDIN.
A CONTEMPTU SCRIPTORIS
PARRHASIANORUM
DIE SEPT. ANNI MDCCIII.
PUBLICE VINDICABIT
WILHELMUS LUDOVICUS Hudemann/
CREMPA-HOLS
SS. Th. St.



KILONI,
Typis BARTHOLDI REUTHERI, *Acad. Typogr.*

1703

Q. F. F. Q. S!

§. I.



Arrhaſius pictor perquam artificioſus, ſed quo nemo gloria artis, teſte Plinio, inſolentius & arrogantius utebatur, linteum aliquod pectoris politiſſima arte tam ingenioſe pinxerat, ut ipſe Zeuxis, cum non fictum illud ſed verum eſſe judicaret, ſe ſuperatum coram ingenue fateretur. Parrhaſianorum Scriptor qui ſibi Parrhaſii nomen aſcivit, non parum multa in Parrhaſianis tam artificioſe proponit, ut ipſos etiam parum cautos artis magiſtros interdum fallere velle videatur. Non autem deerunt inter bene multos ejus antagoniſtas, quibus novitius hic Parrhaſius, uti olim Athenienſis ille pictor victori Timanti, palmam concedere cogetur. Etenim cum novitate ei nihil ſit antiquius, ipſeque in præfatione Parrhaſianorum inſolenter glorietur, nihil ſe proferre quod jam dictũ ſit prius, & quibus ſeculum noſtrũ non indigeat: neque tamen ad omnes res & ſcientias quas tractare audet præparatum afferat animum, ſed ingenio ſuo ab odio poëſios priſcæ Romanorum æq; ac Græcorum occupato nimis indulgeat; aliarum rerum quam ejuſmodi delitiarum intelligentior, ad quas propius accedere non ſuſtinet, illas eminus allatrat, & plenus inconſideratiſſimæ temeritatis tuetur, non ſolum antiquos Græciæ, verum

Parrhaſianaou Penſées diverſes etc. par Theodore Parrhaſe à Amſterd. 1699. 8.

rum etiam Italiæ Poëtas ad imitationem æmulationemque minime proponendos, ſed ab eorum ornamentis prorſus atque omnino abſtinendum illi qui non vilis imitator veterum, ſed poematis auctor velit haberi; * ideoque novam Poeticam excogitandam; ** nec latino ſed vernaculo ſermone poemata eſſe pangenda. ***

Parrh.p.53. §. II. Parrhaſium, (qui fruſtra contendit neminem rectius Grammaticis de Poetica exiſtimare poſſe, quod illi, licet Pöetæ non fuerint, artem

* Parrh p. 6. *S'il n'y en a pas encore*, inquit, *qui aient égalé Homere & Virgile, dans les langues modernes; c'ét, comme je croi, que l'eſprit d'imitation regne trop parmi eux. Ils mêlent encore trop dans leurs Ecrits des ornemens poëtiques de l' ancienne Grece & de l' ancienne Italie, dont il faudroit entierement ſe défaire, pour paſſer pour des originaux.*

** Ibid. *Pour cela, il faut que quelque heureux génie, & qui ſoit entierement au deſſus des pédanteries de l'Ecole, montre exemple aux autres, & faſſe voir aux nations d'aujourdhui ce qu' Homere pourroit leur faire voir, s'il naiſſoit à préſent parmi nous, & qu'il inventât de nouveau la Poëſie ſur les idées du bon ſens, qui ſont infinement plus connues à preſent qu'autrefois. conf. p. 71.*

*** *A l'égard des Poëtes, ceux d'aujourdhui (je parle de ceux qui écrivent dans les langues mortes) ne ſont que des Ecoliers, en comparaiſon de ceux d'autrefois. D'où vient cela? C'ét que les Modernes ſont de vils imitateurs des Anciens -- qu'ils ne ſont poëtes que par routine & par imitation, & nullement parce qu'ils ont pénetré les principes de l'art. -- Pour ſe défaire de cet eſprit ſervile d' imitation il faut écrire dans ſa Langue. Alors on penſe moins aux expreſſions & aux penſées des Anciens.* &c.

artem tamen poeticam omnium optime tradiderint,& nos docuerint quicquid potuerit doceri) cum poeta ipse non sit, de principibus illorum atque adeo de tota arte poetica in Parrhasianis, qua quidem parte de poesi agit, male utique statuisse, aliquot dissertationibus propediem planum faciam; nunc vero tantummodo evincam, eundem antiquorum Vatum Græcorum & Latinorũ poemata manibus nostris nimis παῤῥησιαστικῶς eripere, rhythtmis popularibusque recentum poetarũ versibus summopere commendatis. Permirum siquidem videtur inter copiosas & justas faciendæ rei occasiones fortunas suas dedita opera amplificare nolle. Ergo posteri legitimi majorum heredes nos exheredari permittemus, quasq; Veterum industria possessiones novis accessionibus locupletandas reliquit, secus suadente utilitate & secus jubente necessitate, prudentes scientesque adspernabimur? Nonne præposterum atque alienum videtur, cum non desit unde large liberaliterque vitam agere possimus, iis tamen opibus posthabitis ad alias parandas abire, & accedere ad rivulos fontibus contemptis, glandeque vesci velle frugibus relictis?

§. III. Minime gentium, si quidem Parrhasium audimus, qui cum nobis veterum Poetarum usu plane interdicit, nos vult esse similes Philosophis antiquis, quibus cum pe-

cunia plena atque præclara obveniſſet, illam veluti inutilem & noxiam in mare immiſerunt. At enimvero quodſi omnium ſapientum judicio non niſi præſtantiſſimis conſveſcendum ſcriptoribus eſt, quos in ſuccum quaſi & ſanguinem convertamus, quorumque virtutes non ſolum imitatione effingamus, ſed etiam pro virili parte ſuperare adnitamur; quis non merito miretur Parrhaſium ſuaſorem exiſtere, ut veteres Græciæ Italiæque Poëtas à nobis prorſus ſegregemus æque ac Homerum & Maronem: quorum tamen poemata omnibus aliis quæ unquam lucem adſpexere anteponenda ipſe recte judicavit.

Parrh. verba lege diſſ. hujus §. I. & conf. Parrhaſ. p. 66.

§. IV. Et ſane, quod ad Maronem attinet, difficiliter dixeris, utrum majori cura & judicio an ſucceſſu, cum paſtoritiam fiſtulam ori adhibuit Theocritum, cum terræ cultum verſibus mandavit Heſiodum, & denique ubi Arma Virumque cecinit, volverit Homerum; cui verſum eripere difficilius exiſtimavit, quam Herculi clavam extorquere, quod uti Achilles Pelei fuit invincibilis, ita Homeri inimitabilis videretur. Tantum autem abeſt ut ideo reprehendendus ſit, ut potius maximis laudibus efferri mereatur. Nec enim hanc imitationem ſibi dedecori eſſe judicabat prudentiſſimus poetarum, qui imitatorem ſeſe ingenue profitetur, cum Theocriti gratia, Sicelidas Muſas & Arethuſam

invo-

invocat, & quod carmen Hesiodus græce, se per Italiæ oppida latine canere affirmat. Ejusdem Æneis cum immensam Iliados bonorum & Odyssëæ opulentiam, & majestatem sententiarumque fulmem & verborum pondus in sese derivavit, acerrimo judicio poeta id consecutus est, ut Homerus ex ipso, non ipse ex Homero, quem æque ac alios se præcedentes poetas præcessit, similitudinem duxisse videatur.

§. V. Quæ cum ita sint, Virgilioque licuerit, uti loquitur Joannes Clericus, ad verbum " Græcos Poetas Enniumque etiam aliosque latinos aliquando exscribere; cur nobis non liceret ab ipso Virgilio mutuum accipere quod ille " antiquioribus debuit? Quam in rem videndus " eruditus libellus Fulvii Ursini, quem inscripsit " Virgilium Græcis Scriptoribus collatum." Idem argumentum exsecutus est perdiligenter Henricus Stephanus, aliique. Cur itaque cum Jo. Clerico adversus Parrhasianorum auctorem scriptorum Clerici defensorem & propugnatorem non tueamur, tritam maximis poetis viam sine reprehensione terendam esse, & sapienti ratione deligendos quibuscum, veterum exemplo, de palma & gloria contendamus. Præstitit hoc Flaccus, quem ab Alcæo, Pindaro & excellentissimis Græciæ Poetis non parum multa accepisse manifestum faciunt, quæ nobis etiamnum ex cineribus imperii græcorum exiguæ superant reliquiæ.

Jo. Clericus in præfat. orat. Comp. Eccles. & poëm. Davidis Clerici editor. Amstel. 1687. 8.

Parrhasianis Addita est: la défense de divers ouvrages de Mr. le Clerc.

liquiæ Lyricorum, quorum leges auctoritatem & exempla sectatus est quam diligentissime.

§. VI. Quid dicam de Homero, quem cave putes ingenio suo omnia debuisse, &, quod Parrhasius statuit, poesios suæ primum inventorem neque imitatorem fuisse. Nam vir longe doctissimus D. Jo. Albertus Fabricius Bibliothecæ suæ Græcæ libro primo declarabit LX. Scriptores græcos ante Homerum extitisse commemorari. In iis offendi Poëtas quibuscum æmulatus sit Homerus quis ambigit? Cicero sane in Bruto, non "dubitari debet, inquit, quin fuerint ante Home-"rum Poetæ, quod ex iis carminibus patet, quæ "apud illum & in Phæacum & Procerum epulis "canuntur. Ejusmodi carmina eum legisse & imitatum esse consentaneum utique videtur. Nec enim, judice Rapino, Homero integra inventionis gloria tribui debet, quia manibus trivit res in obsidione Trojana gestas, quas Hegesianax versibus comprehendisse Athenæo memoratur; & Jliada quam Suidas Antimacho cuidam & quam Corinno ascribit, quamque Syagrio æquali Homeri, qui poemata hæc dedita opera suppresserit, ut primus Jliados auctor haberetur. Proinde poetarum Angliæ h.t. princeps haut temere contendit Poema Epicum Homerum omnium primum haut contexuisse, sed aliorum carminum lectione tanquam aquarum inductione

Parrhasiana p. 6.

Rap. observ. in poëm. Homeri & Virg. p. 107. edit. lat. celeberr. Broukhusii.

ne

ne sua irrigasse. * Prudens sciensque prætereo Homerum dici respexisse primo Iliados versu ad hunc Orphei:

Eschenb. Epigenes de Pöesi Orphica Norib. 1702. 4.

μῆνιν ἄειδε θεὰ Δημήτερος ἀγλαοκάρπου.

aliaque non parum multa, quæ eidem tribuuntur, imitatum esse, qvod id pluribus probandum susceperit Cl. Eschenbachius. Neque faciam mentionem Sibyllinorum carminum, quorum versus Homerum sublegisse a Diodoro Siculo libro secundo & a Boccho relatum Solinus capite octavo affirmat; neque Lini, Musæi, Eumolpi, Aristei aliorumque Suidæ, Eusebio, Laërtio Vossio & pluribus commemoratorum: qui licet ante Homerum dicantur vixisse, non desunt tamen qui eorum vel nomina vel scripta supposititia esse tueantur.

§. VII. Neque vero alios tantum, sed se ipsum quoque superare voluit Homerus, cum versus suos paululum immutatos æque ac Vir-

B gilius

(*) Richardus Blackmore in sermone Principi Arthuro poëm. Epico præfixo Lond. 1696. fol. *Homer*, inquit, *was not the first writer of an Epick Poëm. We find Aristotle de arte poët. makes mention of several, I suppose, before him: He tell us of an Epick Poëm intituled: The little Ilias, and another the Cyprica; and censures them both, as containing many perfect, distinct and independent Actions. The last of these pöems is likewise mention'd by Herodotus in Euterpe, by Atheneus and Pausanias. And 'tis likely many more such pöems were written before Homer's time, who might be well suppos'd to have imitated them in what they had done well, as well as to have improv'd them in avoiding many of their errors.*

gilius frequentare non dubitavit. Ita quoque M. Tullius, quem abundantia quadam ingenii præstare constat, eadem tamen verba easdemque urbanitates & lumina orationis non raro iteravit, integrasque dissertationes sæpenumero varie tamen retractavit. Quorum virorum servile fuisse ingenium quis unquam affirmavit? Idcirco minime audiendus Parrhasius cum nostræ ætatis poetis qui ad veterum virtutes imitando se fingere nituntur servilis ingenii notam inurit. Videlicet ingenii poetici flumen, velut extra ripas affluens amnis, reprimendum nonnunquam & intra certos quosdam terminos dictatis antiquorum cogendum est, ne latius se diffundat posthabita exactissima veterum norma & artis Aristotelicæ præceptis.

Parrh. verba lege dissert. hujus §. 1.

§. VIII. Hæc nisi dedita opera negligerent Hispani, sed veluti opes e maxime dissitis Americæ regionibus advehunt, ita thesauros qvibus nos locupletarunt majores ex antiquitate arcesserent, ad veterumque græcorum & latinorum poetarum imitationem se componerent, ante omnes alias gentes Musarum principatum possiderent, ut in præfatione Bibliothecæ Hisp. ingenue judicat Nicolaus Antonius. At enim vel celeberrimus inter illos Lopes de Vega, qui vitia sua non ignoravit sed amavit, teste Menagio, &, quod Parrhasianorum auctor fieri jubet, novam artem poeticam ab Aristotelica diversam excogitavit, libro

Men. Anti-Baillet Tom I. pag. 32, Parrh. verba lege §. 6.

Ma-

Madriti anno MDCXXI. publicato, quem inscripserat: *Discurso sobre la poesia culta*; cives ipsius ita illum spreverunt, ut ne quidem dignus haberetur, qui inter reliqua ejus opera aliquo loco & numero esset, sed eundem semper proterendum conculcandumque judicarunt: poëma vero epicum Lopesii nulla habita ratione regularum Aristotelis poeticarum elucubratum, quod virium suarum fiducia, ambitiosaque vanitate deceptus duces veluti supervacuos præpostere neglexisset, & turpiter se dedisset, flocci non fecerunt, ut penes Renatum Rapinum in observat. poet. & apud Adrianum Bailletum de Arte poetica relatum legimus. Uti inter Hispanos Lopesius, ita inter Anglos Wilhelmus D'avenant cum se accingeret Gondiberto suo poemati epico, quod Hobbes cum Iliade & Æneide contendit, noluit, sicuti ipse profitetur, a poetarum cynosura facem sibi præferri, terram quasi incognitam adsciscendæ laudis caussa scilicet detecturus. Neque tamen detexit, judice Thoma Rymero Historico regio & critico Angliæ celeberr. qui potiores ejus aberrationes & lapsus dedita opera manifestavit, poetam salse perstrinxit, & potius risum tyronum quam Philosophorum admirationem moturum existimavit in sermone præfixo Arti poeticæ Rapini anglice à se versæ: ubi pariter Arabas lacessit quod pro nihilo putent poeticas Aristotelis leges, quocirca luxuriosa non cohibeant, ordinis

hujus diss. conf. Parrh p. 71.

Rapin. §. 1. p. 117.

Baillet p. 49. s.

verba Hobbii lege §. 19. hujus diss.

Davenant in Gondib. praef. p. 19.

Conf. Sermo Wesleji pöem. epico praefixus.

expertia non digerant, neque exultantia constringant. Quod cum etiam animadverteret Averroês, in commentariis in Aristotelem maluit consuetudinem civium suorum vitiosam, quam poeticam Philosophi imperfectam nuncupare. Quæ cum ita sint, Theophilus Viaudus, Gallus, ut alios brevitatis caussa præteream, audaci superbiæ dicam an superbæ audaciæ nimium itidem indulsit, dum propositas sibi a Balzaco veterum regulas ut nimis severas atque difficiles adspernatus est, novaque ad Parnassum semita contendere, ac sine cortice natare affectavit. Nam displicuit potioribus Aristarchis Gallicis Bolæo, Rapino & Pelissonio,* ac denique similis factus est illi, qui cum artem suam saltandi insolentius jactaret, præcipitem se dedit.

Balz. lib. I. epist. 14. data 20. Sept. 1623.

§. IX. E contrario cum Richardus Blackmorus *Principem Arthurum* poëma suum epicum ad normam Virgiliani quod ad indolem rationemque hujus ævi omnium optime accommodatum sit,) ut ipse profitetur ** exactum publici juris fecisset, recte existimantium studia & oculos

* *Desspreaux Sat. 9. pag. 50. Rapin: refl. gen. sur la pöet. pag. 39. & 81. Peliss. relat. de l' Acad. franç. p. 288. &c.*

* * *Blackmore in præf. Principis Arthuri, I do not make,* inquit, *any Apology for my Imitation of Virgil in so many places of this poem; for the same great Master has imitated Homer as frequently and closely; and I do not find that any of his Criticks have condemn'd him for his doing so.*

los illud in se convertebat, locupletissimumque ab iisdem laudum testimonium exprimebat. Equidem celeb. poeta & Aristarchus Jo. Dennisius vitio vertit Blackmoro, quod vestigiis Maronianis nimium adhæserit; * verum Poëta Epicus ubi paulo post *Regem* suum *Arthurum* poema heroicum (quod quia ad nullum antiquorum poetarum exemplum respexit ** eundem applausum neutiquam tulit quo exceptum erat prius) exponeret in lucem, imitationem hanc laudi sibi utiq; cessisse affirmatũ. Neq; enim Godefridũ Knellerum, Lubecensem, pictorem inclutissimum dignum reprehensione videri, quod ad inimitabilis Raphaelis Urbini virtutes proxime accedat, vel illum plane exprimat; neque Christophoro Wrenio exprobrari merito posse, quod modo in condendo S. Pauli incomparabili Templo Londinensi e Michaele Angelo nimiam similitudinem ducat. Et quis quæso Zeuxidi, qui pinxit æternitati, objiciat, eum mirandam Helenæ formositatem effecturum ex complurium puellarum pulcherrimarum dissimilibus formis illam velut excerpsisse? Nam cum veritatem ex

* *Remarks upon* Prince *Arthur by Mr. Dennis London.* 1696. *chap. III. p.* 13. *s.*

** Ipse Blackmore *As I had not*, inquit, *my Eye upon any other Model, so I am not conscious to my self of having us'd any Authour's Thoughts or Expressions, excepting two or three Images taken from Homer, and a few allusions to some inventions of Milton, whom I look on as a very Extraordinary Genius.*

animali exemplo in mutum rei ſimulacrum artificioſe transtulit, Apellem, utique ſuperavit, qui cum ſola ſua niteretur imaginatione coactus eſt manum de tabula imperfecta tollere, quod Venerem ſe, quo cœperat modo, perficere poſſe deſperaret.

§. X. Pictoribus ſimiles poëtæ ſunt, itaque non dubitant optimorum artificum labores imitari, & quo præſtantiores eo ſtudioſiores ſunt, ut ab antiquorum excellentia propius abſint. Non vacat jam rei teſtatæ afferre teſtimonia, niſi Joſephi Scaligeri quoniam illum Criticum tam illuſtrem ipſe Parrhaſius appellat, ut eruditionem ejus nemo omnium quos novit exæquet. Is in confutatione fabulæ Burdonum maximæ laudi ſibi ducit, quod uſurparit ea quæ veteres occuparint. Nam quid facient, inquit, Virgilio, qui nihil pene niſi alienum habet: ſed diſpoſitione & inventione aut fecit ſuum, aut melius? Qui de Hieronymo Vida aliter ſentiet qvam de ſummo & perfectiſſimo poëta, nugas aget. Tamen ſi ex Chriſtiade, Poëtica, Bombycibus, ludo Scacchiorum omnia Virgiliana fruſtra ſuſtuleris, quod Vidæ proprium relinquetur, aut perexiguum erit, aut nihil. Ut paucis complectar; omnino corniculã Horatianã hic videbimꝰ. ſed nõ eſt porcorũ de amaracino judicare &c.

Parrhaſ. p. 224.

Scaligeri judicio Iſaaci Caſauboni ſubtexam, quia par elogium illi tribuit Parrhaſianorum ſcriptor,

& is de Persiana Horatii imitatione nemo, inquit, qui vel summatim humanitatis studia attigit, " Persii satiras legit quin statim imitationis Ho- " ratianæ aliqua saltem vestigia deprehendat. " -- -- Et tamen ea arte eo judicio in hac parte " usus est poeta ingeniosissimus, ut qui adeo mul- " ta non sua usurpat, suus tamen ubique sit, nec " alieni benificii fere quicquam, verum propria " omnia habere videatur. &c. Facerē modo quoque mentionem Menagii pro imitatione veterum acerrime propugnantis, nisi is fucorum more aliena pabula ut sunt constructa nonnunquam diriperet, & nisi eundem stultum Parrhasius appellasset, cum coram recitarem hanc ejus distichi satis noti imitationem:

Grotiadæ certant de relligione Socinus,
Arrius, Arminus, Calvinus, Roma, Lutherus.

Videlicet summi Poëtæ Hugonis Grotii, valde studiosum Parrhasium coram cognovi, ejusdemque scripta in Parrhasianis ita admiratur, ut ea supra invidiam collocet. Is si ubivis magnus, in carminibus incomparabilis & plane divinus, judice Cl. Sarravio, est. Quam virtutem veterum lectioni imitationique se unice debere ipse in epistola ad fratrem Guilhelmum Grotium data Roter. MDCXV. & carminibus suis præfixa profitetur. Ut enim sequax ac ductile ingenium suum e cujusve poetæ lectione incaluerit; ita ad ejus imitationem se raptum, & alibi Lucani spiritu

Parrhas. l. c. & p. 346.

Sarrav. in præfat. epist. Grotii ad Gallos.

ritu

ritu plenum, interdum Manilii ſtudioſum, nonnunquam autem caſtigatius aliquid ad Statii & Claudiani inſtar conatum agnoſcit, ſeſeque imitatorem profitetur; ideo neutiquam vilior poeta. Sicuti apis magis contempta non eſt quam aranea, quamlibet illa ex variis floribus quæ in uſus ſuos oportuna ſunt legat, ex iisque mella conficiat flores redolentia transformatos; hæc vero quæ ducit fila ſoli corpori ſuo & ſinui debeat.

§. XI. Cum Apes laudabiliter imitentur meliores Poëtæ recentiores, Parrhaſius prudenti cuiquam tam facile haut perſuadebit, ut veteres ſuas ſibi res habere jubeat, nec in eorum veſtigiis pedes ponat, ſed nova inventa antiquæ Ariſtotelis arti anteponat. Hanc vero ſagaciſſimus poeta & criticus Rapinus nihil aliud eſſe ait,* quam ipſam naturam methodo comprehenſam, commẽtariisq; ſuis & laudibus digniſſimam cenſuit æque ac Petrus Victorius, Vinc. Madius, Franc. Robortellus, Ant. Riccobonus, Franc. Patricius, Barthol. Lombardus, Alex. Paccius, Andr. Ghilinus G. J. Voſſius, Dan. Heinſius, Hier. Vida, A. S. Minturnus, M. A. Majoragius, Paulus Benius, Alex. Piccolomineus, Lud. de Caſtelvetro, Theodorus Goulſtonus, Frid. Sylburgius, Franciſcus Bonamicus, & Goncalez de Salas. Poſt illos Andreas Dacierius & Renatus Boſſu hoc ſaxum lauda-

* Rap. Comparaiſ. des grands hommes *Amſt.* 1686. *T. II. p. 113. La pöetique d'Ariſtote n'ét que la Nature miſe en methode, & le bon ſens reduit en principes.*

laudabiliter volverunt, & ſicut plerique reliquorum ingenue agnoverunt, Stagiritæ & antiquorum omnibus numeris abſolutis præceptis ſe nihil neque addidiſſe neque detraxiſſe, ſed ea tantum quodammodo illuſtraſſe. Et merito ſane Voſſius in præf. Inſtit. Poeticarum contendit neminem eorum plus laudis meruiſſe, quam qui ab Ariſtotelicis dictatis minimum receſſerit.

§. XII. Omnium autem optime opere ipſo illa expreſſit P. Virg. Maro admiratio * & delitiæ omnium ſeculorum & nationum. Quas cum deſipuiſſe nemo ſapiens dicet, oportet utiqve poeticam illius præcellentiſſimam nunquam non viſam fuiſſe. Nec modo præpoſtere repudianda eſt, perinde quaſi, licet judicio polleamus eoque utamur, nihil inde ad nos utilitatis redundet, ſed potius mentem noſtram ideis & cogitationibus veterum corrumpat. Ita quidem ſtatuit Parrhaſius, cui noſtræ ætatis Poëta videtur magis prompto idoneoque ad excogitandum ingenio, & verbo magis ἐπινοητικὸς ** quam quondam fue-

* *L'antiquité d'un Ecrivain n'ét pas un titre certain de ſon merite: mais l'antique & conſtante admiration qv'on a toûjours eûe pour ſes ouvrages ét une preuve ſeure & infallible qu'on les doit admirer.* Deſpreaux refl. crit. ſur Longin. refl. 7. p. 217.

** Utor voce græca quia Bolæus in notis ad Longinum (*p*. 109.) eandem cap. III. περὶ ὕψους adhibentem ἐπινοητικὸς, inquit, *veut dire un homme qui imagine, qui penſe ſur toutes choſes ce qu'il faut penſer, & c'ét proprement ce qu'on appelle un homme de bon ſens.* Loquitur autem de ejusmodi hominibus (de bon ſens) Parrhaſius loco §. I. hujus diſſ. citato. Conf. Parrhaſiana p. 13. 16. 20.

fuerint antiqui: quocirca Novam Artem Poeticam invenire debeat, poeticis veterum exemplis omnino reprobatis, quippe quæ ſolum impedimento fuerint quo minus ad excellentiam Homeri & Maronis recentiores adſpiraverint, ſi verum ſit hos illis eſſe poſtponendos.

§. XIII. Operæ pretium videtur, ut declaremus, Parrhaſi, te licentius pronuntiare, totaque aberrare via, dum inveſtigas rationes per quas temporis noſtri Poetis Veterum principes Epici poematis ſcriptores haud liceat exæquare: cum tamen Philoſophos, criticos & antiquos Scripturæ interpretes, quodſi vitæ ſuæ reſtituerentur, ultro daturos & conceſſuros temere putes, ſe cum hodiernis nullo plane modo poſſe comparari. Non deſunt inter eruditos qui tantæ inæqualitatis cauſam oſtenſuri, contendunt, cum poëma Epicum aptum undique expletumque omnibus ſuis partibus & numeris, ac omnium operum humanorum perfectiſſimum eſſe oporteat, utpote quod unum reliquorum omnium perfectiones complectatur, majorem illud mentis impetum & ſingularem enthuſiaſmum poeticum requirere; ſicuti buccina & tuba violentiorem ſpiritum poſcat, quam levis fiſtula aut paluſtris canna. Afflatui huic & furori celeberr. Petrus Petitus in diſſertatione de Furore poetico inprimis tribuit, quod Homerus & Virgilius inaceſſam illam ſublimitatem & virtutum poeticarum

Parrh. p. 5.

Temple's Eſſay of Poëtry p. 15. 16. 17.

rum metam contigerint, eoque adſcenderint cogitatione, quo nemo alius tot conſequentibus ſeculis quavis intentione mentis potuerit pervenire. Qua de re cum pluribus egerim in diſquiſitione de Enthuſiaſmo Poëtico, nolo ſemel jam dicta hic iterare. Neque contendam, non eſſe poſteris a vetuſtate in hoc ſcribendi genere gloriam relictam, eoque ſe extuliſſe & indolem & poëticam antiquorum, ultra quem locum progredi nusquam poſſe videatur. Perinde quaſi natura effoeta ſic conſenuiſſet, ut nemo ad Homeri aut Virgilii majeſtatem proxime accedere poſſit. Non autem illa, ſicut pharmaca antiqua ſpiritu exhalato, vigorem amiſit; nec velut ager fertiliter gignendo inops frugum & ſterilis evadit; ſic rerum natura cultu quotidiano animorum defeſſa priſtinam virtutem penitus exhauſit; quamlibet, ſicut terræ præclara vis ferendi nonnunquam deficit, ita fertilitatem ingeniorum quædam ſterilitas ſequatur. Hæc nimirum ſimilis ſideribus eſt de quorum nitore & virtute nihil quicquam ætas decerpit. Proinde Wilhelmus Wottonus Anglus ingenium hodiernos non deſtituere, ſed accidentales quasdam circumſtantias impediiſſe quod antiquis ſint inferiores tuetur adverſus opinionem celeber. Equitis Anglici Temple. Is cum de poemate Epico verba facit multus eſt ut probet, recentiores, quos reſpectu antiquorum nanos appellat, haud cole-

p. 68. 69. ſeqq.

Refl. upon anc. and modern learning by Will. Wottō Lond. 1697. chap. 3. p. 20. ſ.

Temple sec. part. prem. re campum tam amplæ segeti efferendæ opportunum.

Ess. du sçavoir des anc. & des mod. p. 81. s.

§. XIV. Inquirit itidem in caussam hujus dissimilitudinis doctiss. Antonius Sebastianus Minturnus, conjicitque animi cum imperiti tum invidi crimen præclaro ingenio præditos atque eruditione perpolitos a studio sequendi revocare. Cum enim indocti homines ad pangendum ejusmodi poema se non idoneos intelligant, iis invidiam concitant quibus hæc laus obtigit, & sicuti veterum admiratores videri volunt, ita novos se fastidire non dissimulant: non quod illos vero amore & plausu sed quoniam hos vehementi odio prosequuntur. Auxit horum iniquitatem secundum Minturnum, doctissimorum virorum modestia, qui cum veteres in honore & maximo pretio habendos hortentur, iis nimium sibique ipsis parum tribuere consueverunt. Deinde idem vitium cumulavit obtrectandi improbitas quorundam eruditorum, qui nimis interdum novitios aversantur, quia sunt novitii, & veterum nomine confictos versus, eo quod veteres esse falso persvasum habent prædicatione mirifice efferunt. cujusmodi documenta in Diss. de Pöetis Episcopis a me bene multa producta sunt; cum tamen nos veterum labores cum veneratione, recentiorumque sine præjudicio & maledicendi libidine intueri oporteat. Hac enim detractione deterrentur egregia indole viri, nullumque sibi laudis

Mint lib. II. de pöet. p. 84. s. Venet. 1559. 4.

§. 75. p. 38. seq.

locum

locum relictum perperam arbitrantur, & quos consequi desperant, haud consequuntur: iisdem forte non cessuri, quodsi animo reputarent, neque Virgilium, quodsi ita judicasset, Theocrito, Hesiodo, Homero, Ennio, Lucretio aliisque se præcedentibus poetis, neque Tullium, si non tentasset, se præcedentibus Oratoribus palmam præripere potuisse.

§. XV. Alii * opinantur solam Religionem Christianam obstare & impedire, quo minus nostræ ætatis Epici Poëtæ veterum dignitatem sustinere possint. Oportere enim ut Christiano indigna ornamenta excludant, quod nostra sacra nobis interdicant machinarum usu, judice Jo. Drydenio, & ne jovem, Minervam, Venerem &c. in poematis adhibeamus. Richardus Blackmorus quamvis tueatur admirabilitatem Poema Epicum ab omnibus aliis poematis discriminare, veteres tamen quod interventu deorum suorum admirationem frequenter excitarint, per deorumque ministeria liberum spiritum præcipitarint, prærogativa gaudere, idq; poemati epico essen-

Dryden in his preface before his translation of Juvenal.

* Blackmore in sermone *Principi Arthuro* præfixo, *some of our modern Criticks*, inquit, *have believ'd 'tis scarce possible for a Christian Poët to make use of this advantage of introducing superiour Invisible Powers into the Action, and therefore seem to despair of seeing an Heroick poëm written now that shall reach to the dignity of those of the Pagans. They think the Christian Religion is not so well accommodated to his matter as the Pagan was; and if any attempt be made this way, Religion will suffer more, than the poëm will gain by it, &c.*

sentiale & necessarium esse negat. Majora siquidem nobis commoda e sacris litteris affluant, quam quidem sufficere paganorum fabulæ possint. Ut id planum faceret documento suo Poema Epicum se contexuisse scribit. Quo opere, secundum quosdam Criticos, contrariam sententiam satis superque diluit. Idem negotii suscepit Samuel Weslejus, * qui contra Bolæum aliosq; in præfatione & opere ipso idem quod Blackmorus pluribus tuetur. A quibus non est sejungendus Johannes Drydenius, quoniam luculenter declarat cũ vero Dei cultu & Christiana religione hautquaquam pugnare ut boni vel mali spiritus Poëma Christianum ingrediantur, in deorumqve paganorum locum succedant.

Dryd. l. c.

§. XVI. Quidam quod seculo minus felici vivant incitamenta nostros poetas destituere asseverant. Cum enim res græcorum floruerint maxime & vates in honore habiti sint, poeticam quoque facultatem floruisse. Imperante autem Octavio cum ad summum fortunæ fastigium adspirarit immensa imperii Romani majestas, ad summum quoque apicem gloriæ evectam esse Poeseos Romanæ dignitatem. Eadem declinavit ætate Tiberii & Theodosii plane prolapsa est, uti observat elegantissime doctus editor operum Sannazarii. Secutis a barbaro septen-

Janus Broukhusiq in præf. Sannaz. Amstel. 1689.

* *The Life of our blessed Lord and Saviour Jesus Christ. An heroick pöem in ten books. attempted by Samuel Wesley. with a prefatory discourse concerning Heroick Pöetry. Lond. 1694. fol.*

ptentrione immanium gentium crebris irruptionibus Musæ tandem exspirarunt. Inde barbaries aliquot sæcula occupavit, usque dum Fr. Petrarcha nitorem Musis & Musas nitori restituere pro virili cœpit. Capta deinde a Turcis Constantinopoli Græci artes suas Latio iterum intulerunt, adnitentibus ante alios Principibus Mediceis Mecænatibus redivivis, qui poetarum ingenia mercede præmiorum evocaverunt. Iis opus esse docto viro, ut tempus suum & studium variis scientiis impendendum lucubrationi poematis epici impertire possit, illustris Morhofius contendit. Augustum is desiderat qui nostræ ætatis poetam ut Maronem agris donet, nec solum salutis poetarum quemadmodum Medici, sed etiam ut Aliptæ virium & coloris rationem habeat. Exoptat ille ut hodierni vates eadem qua Capellanus felicitate fruantur, quem cum *Virginem* suam *Aurelianensem* perlongo parturiret intervallo, a Galliæ Rege MMM & a Domino Longueville MMMM. librarum annuo stipendio locupletatum Peraltus prodit.

Morhof. in pref. poem, Germ.

Perrault Paralel des Anc. & des Mod. T. II. p. 166. edit. Amst.

§. XVII. Quodsi pluribus liceret esse tam fortunatis soli poemati epico vacare commode possent, quod integrum prope spatium vitæ sibi deposcit. Quocirca Cardinalis Perronius quod *Mosaidos* titulo insignire poema in animum induxerat, inchoatum se reliquisse profitetur. Id forte etiam caussæ est cur Jacobus Wallius *Pe-*

trum

Conf. diss. mea de Studio Senili p. 40.

trum Eremitam in laudum suarum & epici poematis materiam haud converterit. Nam indefessa solicitudine eum labores suos perpoliisse in Belgio inaudivi. Eandem cum pauci poetæ hodierni ad pangendum poema afferant, nonnulli pugnant illos amore sui corruptos laborisque immensi odio avocatos non eluctari inaccessam poematis heroici sublimitatem. Nimirum mel disciplinarum veteres ceratis tabellis dicunt commisisse, quo lentius ceræ stylus fuerit infixus, hoc in meditando animum fuisse morosiorem, neque ut modo usu veniat mentis cogitata calamum præripuisse. Equidem P. Virg. Maro, cum triennium Bucolicis & septennium Georgicorum libris concessisset, poemati suo epico undecim (ita lego in vita Maronis edita a Ruæo & in edit. Norib. MCCCCXCII. non duodecim, ut Cl. Polyhistor nuper tuitus est) annorum spatium impendit, & tamen ultimam operi æterno manum non imposuit. Sed & Actius Syncerus Sannazarius satis temporis (viginti annos) in poemate de *Partu Virginis* perpoliendo insumsit hacque immoderata correctione & lima opus potius deformavit; æque ac Lopez de Zarate, Jo. Capellanus aliique poëmata sua heroica cura diuturniore depravarunt.

Minturnus lib. V. de poeta p. 440. conf. diss. mea de Enthus. pöet. p. 68. s. 71. s.

§. XIIX. Proinde, ut tandem quod sentio & quod res est dicam, tantum abest ut acu rem tetigerit Parrhasius, cum nimio imitandi studio adscribit, quod hodierni vates Poëtæ Epici partes

tes nondum cumulatiſſime implerint, ut potius toto erret cœlo. Nimirum, uti rationibus nonnullis a me modo adductis nihil derogo, ita perſuaſiſſimum habeo, ideo perfectum Poetam epicum ætatem noſtram deſtituere, quod minus quam par eſt cum veterum artificio poetico recentiores æmulentur. Quemadmodũ enim proci de conjugio Penelopes deſperantes ejus ancillis ſe dedere & commiſcuere; ita cum antiquorum principumque poetarum artem ſe exæquaturos deſperant, in recentum carminibus & inventionibus acquieſcunt. Cum tamen ſi vel maxime ſpes non ſit tranſeundi, magna tamen dignitas ſubſequendi habeatur, & ſicuti non indecorum ſuperari, ita honorificum ſit cum principibus Poetis decertare Taceo differentiæ inter noſtri & veteris ævi Poëtas aliquam cauſſam videri, quod domeſticæ lingvæ, quas pleriq; omnes ad contexendũ carmẽ adhibent, majeſtati poëmatis heroici impares dicantur. Hiſpanica, ſi fidẽ habeam9 Rymero, Anglo, qui ſi quis alius παλειδομανία laborat, nimis turgida & ſolum ad gloriationes ineptas & Thraſonicas, ſicuti Italica ad genus dicendi ludicrum, quod Galli *burlesque* nuncupant, non autem ad condendum epicum poëma, neque etiam Gallica, idonea eſt. De Belgica verba non facit, quam ut a poëſi ſecernamus auctor eſt Barlæus, quamvis patrio ſermone omnium optime carmina pepigerit. Is elegiæ ad Jac. van der Burch & Jo. Broſterhuyſium hoſce verſus inſerit:

Rymer's Pref. bef. his tranſlation of Rapin's reflex. &c.

Barlæ9 lib. II. eleg. p. 366. ſ.

Cur nimium tritas loquitur Venus aurea voces,
Ludit & in nostris vester Apollo sonis?
Major ab Ausonio consurgit gloria cantu,
Clarius Oenotrio nascitur orbe decus.
Non decet indoctam vatum sapientia turbam,
Et nimium vestro vulgus ab ore sapit.
Cernitis ut viles scandant Helicona puellæ,
Foemineumque riget Castalis unda chorum?
Scribite foemineis aliquid sublimius ausis;
Pangite, quod virgo non queat ulla, melos &c.

Barlæi civis cultiss. Hugenius eandem nostræ cedere remittit:

Gelyck het laege dal voor hooge Bergen doet.

Rymerus autem rudem Germanorũ lingvã atq; impolitam, nec cum sua committendam imprudenter pronuntiat; cujus dignitatem, abundantiam, vigorem, gravitatem habilitatemque præ omnibus reliquis sermonibus ad pangendum heroicum poema pluribus se non declaraturum ait, quod integro libro id præstiturus sit Cl. Sherienghamus. Sed vero alibi jam monui, quod ad germanorum linguam attinet, coecum de colore judicasse, quod ne verbũ quidem teutonicũ proferre potuerit cum mihi sermo esset aliquoties cum illo Londini. Qvis vero Rymerum docuit lingvam alemannicam a nemine excultam & limatam esse? Constat siquidem illustrissimum ordinem, Societatem Fructiferam elegantiæ & munditiei sermonis hujus promovendæ caussa

jam anno MDCXVII institutam, eodemq; tempore illius caput sive Directorem constitutum esse Ludovicum Principem Anhaltinum; adeoque septendecim annos eam prævertisse Academiam Francicam ad provehendum gallici sermonis cultum auspiciis Richelianis anno MDCXXXV. pariter stabilitam. Linguæ autem Anglicanæ effœminatam & mollem esse pronuntiationem a gravitate poematis epici prorsus alienam qvem præterit?

Jo. Seb. Muller in Annal. domus Saxon. Vinar 1700. fol.

Conf. de lingua German. Liber. Morhofii p. 4. & 447. s.

§ XIX. Neque negat id ipse Jo. Drydenius, linguæque suæ officere putat, quod non Romanam sed nostram parentem agnoscat, & monosyllabis consonantibus præpeditis, peregrinisque vocibus perinde redundet ac variis religionibus Amstelædamum. Merito itaque Cl. Thomas Hobbes in epistola ad Wilhelmum D'avenant auctorem epici poematis Gondiberti, * oportere ait, ut Æneadi & Iliadi id concedat ob sermonis quo scriptum est mutabilitatem, cui obnoxiæ sint omnes hodiernæ Linguæ. Wilhelmus autem Wottonus non solum Græcæ & Romanæ, sed Gallicæ etiam atque Italicæ linguæ suam postponit, & omnes vernaculo sermone scribentes

Dryden dedic. to the Earl of Sunderland before Troilus and Cressida.

* Hobs in his pref. to D'av. Gond. p. 63. *I should say*, inquit, *that it would last as long as either the Æneid or Iliad, but for one Disadvantage, and the Disadvantage is this: The languages of the Greeks and Romans have put off flesh and bloud, and are become immutable, which none of the modern tongues are like to be.*

poetas canones metricos quodammodo violare, ſyllabarumque menſuram parum attendere, adeoq; cum veteribus non committendos eſſe poſt Voſſium (qui nævos Europæarum linguarũ perinde ut Morhofius perdiligenter excuſſit) ingenue profitetur. **

§. XX. Quæ cum ita ſint, ſuaque lingua prius nihil atque antiquius eruditis eſſe oporteret, haud ſcio an calculum queam ſententiæ Parrhaſii adjicere. Is cum non ignoret Italos & Anglos æque ac cives ſuos non modo vulgarem ſermonem ad labores ſuos proſa oratione conſcriptos adhibere, verum etiam antiqua ſcripta tantum non omnia vertere, vel potius traducere & nos a fontibus abducere; ſvadet ut itidem populari lingua Heroica poëmata contexant. Quo facto quis non intelligit meliorum litterarum cultoribus neceſſitatem imponi dandi otium ſuum verbis peregrinis, quod rebus ipſis melius po-

Parrh. verba lege §. hujus diſſ. I.

** Reflections upon Anc. and Modern Learning Chap. III. p. 25. 33. 34. ſ. *The quantities of ſyllables being in a great meaſure neglected in all modern languages, we cannot make uſe of that variety of feet which was anciently uſed by the Greeks and Romans, in modern poëms. The guide of verſes is not now length of ſyllable, but only number of feet, and accent. -- -- We Northern people often make a ſyllable ſhort that has two or three conſonants in it, becauſe we abound in conſonants: this makes engliſhs more unfit for ſome poëms than french and* Italian*; which having fewer conſonants have conſequently a greater ſmoothneſſ and flowigneſſ of feet and rapidity of pronuntiation.* Conf. Voſſ. de poëm. cantu p. 49. 50. 55. 56. 57. ſ. edit. Oxon. 1673. & Morhof. de Lingua Germ. p. 4. 450. 453. ſ. 561.

poterat impendi? quis non videt meliores artes litterasque Parrhasium funditus subvertere, ac barbariei regnum iterum stabilire conari? De Græca lingua pluribus jam non loquar, quod de illa vere affirmaveris, quæ sua tempestate, cum græca ubique legerentur, de Latina Tullius affirmavit, illam terminis perexiguis coerceri. Romana autẽ inter assiduas sermonum immutationes perstitit sola, & dignitatẽ incolumitatemq; suam in marmoribus magisq; in scriptis singulari Dei beneficio nunquam non retinuit. Quocirca quoties de pace, de bello, de fœderibus aliisque rebus controversis & necessariis inter se agunt Reges & Principes, non sine dedecore & incommodo publico maximoque damno negligi potest. Illius dignitas utilitasque tanto major est, quo magis patet, & quo plures eam legunt & intelligunt: illa compositum poema scriptoris sui memoriam custodit diligentius, ac nominis dignitatem magis illustrat, eidemque immortalitatem elargitur. E contrario vernaculo sermone conscriptum carmen perinde ferre ætatem ac famam decusque auctoris sui nec foris conservare potest nec domi. Nimirum uti vestes ita patrius sermo subinde mutatur, & quibus regna obnoxius fatis nec immutabilitatem consecutus est: quotidie enim propemodum moritur & nascitur, pendetque vel ex vulgi libidine, vel ex judicio eruditorum, qui novas loquendi rationes ac formas inducunt, & pristinas significationes subinde immutant.

§. XXI. Omnem equidem lapidem move-

verunt Galli, ut ſuam viventium, quas vocant, linguarum conſtituerent Reginam, & ne aſſiduo agitaretur, redderent fixam. Jamque ſua ætate triumphavit Sorbierius, aſſumptoque nomine Laboureur publici juris fecit librum quem inſcripſit: *Avantages de la Langue françoiſe ſur la Langue latine.* quam ſententiam fregit exaratis quibusdam litteris latinis Renatus Franciſcus Sluſius, ejusdemque rationes Iſaacus Voſſius præclare labefactavit. Nihil jam dicã de verſibus Mareſii quibus penes Santoliũ in vates latinos inſultat, propterea quod Romanus ſermo non ſolum mortuus & obſcurus, ſed etiam intricatus ipſi videtur: forte quia linguæ hujus compoſitio ſeu collocatio verborum non æque ac Gallicæ proxime accedit ad legem & ordinem naturæ. Hanc vero linguæ nondum ſatis cultæ horridiorisque notam eſſe Voſſius pererudite propugnat. Neque tamen poſtmodum anno MDCLXXVI. Galliæ Regi defuere ſvaſores, ut publica monumenta ſibi uſitato ſermone curaret inſigniri. Prodiit enim liber Franciſci Carpentarii *de Arcu triumphali gallice inſcribendo*, quo Muſas latinas atroci ſtylo inſequitur, patriasque litteras ipſis etiam latinis impudenter anteponit. Eadem importunitate Jo. Baptiſta Evangeliſta Picenus, & Alex. Taſſonus Mutinenſis Etruſcum ſermonem Romano in ſcriptis ſuis publice prætulerunt: quorum audaciam ſtyliq; mucronem egregie retudit Jo. Nicolaus Saulius Carrega Jtalus

Voſſius de viribus rhythmi p. 36. ſeq.

Santol. p. 196. ſeq.

Voſſ. l. c. p. 40. ſ.

Taſſon penſieri diverſi lib. 9. qu. 15.

Carrega lib. II. Epiſt. p. 129.

lus in Epiſtola data ad Jo. Franciſcum Gropallum. Neque ſui defuere Carpentario V. Academico Antagoniſtæ. In quibus eminent Jo. Lucas & Jo. Baptiſta Santolius, Galli, poetæ latini præcellentiſſimi, qui Carpentarii inſtitutum acute exagitaverunt. Tandem ipſe Gallorum Rex LUDOVICUS XIV. veterem Quiritium ſermonem ſuo prudentiſſime antepoſuit: procul dubio quod ſagaciſſime præſentiret tantum perpetuitati gloriæ ſuæ deceſſurum, quantum laudi uſuique latinæ lingvæ eriperetur.

Santol. opera poët. ap. 179. usque ad p. 205. conf. p. 158. ſ.

§. XXII. Agitur ſane Latii ſalus, in diſceptationemq; a Parrhaſio vocantur quæ gloriã Principũ fortiſſimorumque factorum famam complectuntur. Plerique tamen omnes hodierni ſcriptores id non advertunt, neque ſatis conſulant conſervationi nominis ſui & illius quod ſibi celebrandum poſteritatique propagandum ſumunt. Neque hæc tu non intelligis, Parrhaſi, & tamen græcum latinumque ſermonem à poetica audaciſſime prorſus removes, eosdemque vulgaribus poſtponis & mortuos appellas: quos tamen nunc demum vivere, vigere & firma uti valetudine arcte tenet diſertiſſimus Muretus, acriterque defendit. Poſtquam enim non a nutricibus ſed a magiſtris diſcuntur, eosque ex populi ſervitute ex plebisque poteſtate doctorum uſus vindicavit, inter tot rerum viciſſitudines priſtinam dignitatem conſervarunt. Neque tantummodo vivunt, ſecundum Muretum, ſed immortalitatem

Muretus vol. II. orat. XVII. p. 173. ſ.

quodam-

quodammodo & immutabilitatem modo adepti sunt aliisque elargiuntur. Secus esset, si in vulgi potestate, & apud populum & jus loquendi & norma permansisset. Nec enim Tullium hodie intelligeremus, quemadmodum ejus temporibus non capiebantur quæ regnante Romulo & Numa litteris mandata exstabant. Jam vero non amplius fluctuant, sed ex certis petuntur scriptoribus, præceptionibusque certis continentur, & multis jam seculis immutabiles perseverant. Quis itaque non videt plerasq; domesticarum & novitate sua auribus blandientium linguarum a veteri eruditorum sermone dignitate tantum abesse, quantum a tempore? Et quis non indignissime ferat in locum & vicem puræ corruptam, in sobriæ temulentam, in dominæ pedissequam substituendam a Parrhasio affirmari?

§. XXIII. De linguæ Parrhasio vernaculæ vitiis hic locus esset sigillatim differendi, nisi hoc me labore Viri docti jam levassent. In iis Boissimonus * ante omnium oculos posuit Gallos æque ut alios novellos oratores & poëtas inaffectatam eloquentiam non affectare, sed inflato tumidoq; dicendi genere interdum nimis delectari. Quod quidem vitium cum majore periculo conjunctum, quia, secundum Fabium, cætera cum evitentur, hoc petitur. Mirum vero ipsius

* *Les beautes de l'ancienne Eloquence, opposées aux affectations de la moderne par Mr. de Boissimon Amstel. 1689.*

ipsius etiam eloquentiæ gallicæ principis Balzacii scripta his nævis plena esse atque conferta, teste Bolæo;* ubi sermonem suũ ob maximam vocum egestatem græco plurimum cedere itidem probavit. Eundẽ cum a locutionibus figuratis & metaphoricis valde sit alienus, nec nisi paucis gaudeat poeticis vocibus, ad poema heroicũ perpetuæ allegoriæ involvendũ nõ idoneũ esse legimus penes Dominicum Bouhursium. Simile quid Rapinus affirmat, docetque genium civium suorum non esse habilem exprimendis magnificis ideis: quam ob caussam poëtæ Galli ne umbram quidem sublimis poëseos Homeri & Virgilii etiamnum exhibuerint. Magis ille ingenuus Bouhursio est, qui cum genti & lingvæ suæ addictior in illius laudes non raro nimis excurrit; ex ipsis elegantiæ sermonis a Bouhursio præscriptis legibus Gallicum esse omniũ absurdissimum & maxime barbarum efficere adnisus est vir doctiss. Jo. Braunius.

Bouhours II. Entretiẽ d'Ariste & d'Eugene p. 68. 69. e lit. quarta.

§. XXIV. Meum non est facere discessionem in hanc Braunii sententiam: id tantum firmabo novis rationibus, quod probare coepi, Gallicam aliasque vernaculas linguas non perinde ut Græcam & Latinam ad Poema Epicum (de quo potissimum verba facit Parrhasius) pangendum idoneas videri. Nimirũ in propatulo est poëtas qui

Braun. in Selectis sacris addita exercit. III. de stylo hebræo. Amst. 1700. 4.

E vulga-

* *Boileau sur Longin refl. 7. p. 215. 216.* conf. p. *226. 227. itemque celeberr. Polyh. Petri Bayle opus Histor. in artic. de Balzacio & de Jo. Gulonio.*

vulgari ſermone poemata componunt rhythmis modo valde delectari. Quod quidem inſtitutum quatenus probandum collaudandumque videatur ſingulari diſquiſitione propediem exponam; hoc loco tantummodo declaraturus Poematis Epici dignitatem, ſublimitatem, ſeveritatem, gravitatem & majeſtatem videri quodammodo minui vocibus ſimiliter cadentibus. Neque tamen accedo diſertiſſimo Oratori Franciſco Vavaſſori, cum clauſulas illas numerorum pares omnino explodit, corruptæque & adulterinæ poëſeos indicium eſſe, & riſum moturas exiſtimat, niſi res videri minus ridicula uſu deſiſſet. Abit ad illam opinionem Jſaacus Voſſius, & ὁμοιοτέλευτα ſimilesque verſuum terminationes ſpurias, pſeudorhythmos, inconditos, barbaros, inanes, inſipidos, abſonosque ſonos appellat: quib⁹ ſimiliter deſinentibus vocabulis veluti appenſis totidem tintinnabulis reſonent vulgares verſus. Ait enim quotquot artis Poeticæ vel Rhetoricæ præcepta tradiderint, tanquam ſcopulum ſic vocabula ejusmodi conſonantia & pueriles figuras vitandas monuiſſe. Deinde citat ſcriptoris Rhetoricorum ad Herennium verba, qvibus dictat non modo tolli dicendi auctoritatem & fidem, ſed offendi quoq; auditorem verbis reſonantibus: propterea quod non videantur reperiri poſſe ſine elaboratione & conſumptione operæ, neque in his ſit dignitas neque pulchritudo: quare cito ſatietate afficiant aurium ſenſum faſtidioſiſſimum. Idcirco opi-

Vavaſſ. Orat. IX. de vitanda curioſitate. Paris. 1649. 8.

Voſſius de viribus rhythmi p. 25. ſeqq. p. 79.

opinor domesticos rhythmos aversatus est Ariostus in Comœdiis, Tassus in Amynta, Gvarinus ejus æmulus in Pastore Fido, Petrarcha in nonnullis carminibus, de Meziriac in quibusdam Nasonis epistolis gallice versis, Mylius in oda belgica, Slusius denique in litteris ad Sorbierium & Maresius in epistola ad A. Halæum.

§. XXV. Quid dicam de Jo. Miltono poëtarum Angliæ extra controversiam Principe, qui Poëma suum Heroicum *Paradisum Amissum* æque ac *Paradisum Recuperatum* & *Sampsonem Agonisten* poema dramaticum prorsus neglecta clausula similiter cadente felicissime elucubravit: adeoque documento fuit posse utique rhythmos quibus in vernaculis versibus utimur, a præcellentissimo poëmate exulare. Præter Miltonum Angli non parum multi dramata eodem carminis genere conscripsere: in quibus ceteris plurimum præstitere Fletcherus, Johnson & Shakespearius poetæ toto orbe celeberrimi. Quorum tamen exemplum æmulari noluit Johannes Drydenius. Nam in dissert. de poësi dramatica rhythmum Tragoediæ pulchre convenire pugnavit. Eadem Morhofii sententia est, quam amplexari nequeo, propterea quod magna est Tragoediæ & poematis Epici, quod rhythmos non admittit, convenientia. Ad Germanos quod attinet, neque apud illos defuere, qui sine rhythmis, sed non sine laude scripserunt. In iis Perillustris Seckendorfius Lucani Pharsaliam, posthabitis similibus

The poëtica works of Mr. John Milton. London 1695. fol.

Comedies Tragedies and Operas of Mr. John Dryde Lordon 1701. fol.

Morh. de pöes. Germ. cap. 8. p. 578.

Lucani Pharsalia a Vito Ludov. a Seckendorf Consil. Brand. intimo germ. versa Lips. 1695. 8.

libus versuum terminationibus, germanico carmine vertit: non solum quod in quærendis rhythmis sæpe propter unicum verbum, ut versus cum altero æqualiter cadat, longe a proposito recedendum sit; sed ut ansa etiam pulchriores provocandi inventiones ingeniis non servilibus præberetur. Institutum hoc suum celeberr. Morhofio, quicum communicavit manu sua exaratam versionem, ita probavit, ut is, perlectis illis speciminibus, mutata in qua fuerat de rhythmis sententia, Seckendorfio suasor & auctor extiterit, ut nova hac pöetandi ratione orbem eruditum locupletaret. Videlicet Morhofius, qui, secus ac antiqui, allusiones & voces consonantes in scriptis suis frequentat, rhythmorum usum adversus Vossium pluribus defendendum susceperat. Neque enim dubitavit eorum suavitatem perperam anteferre usui pedum numerorumque qui semper viguit apud pöetas Græcos & Latinos. Idem tamen diserte pronuntiaverat, in Numero Poetico, qui veterum carmina incomparabilia reddiderit, vitã & animã poematis consistere: illius autem capacẽ non esse sermonem Germanorum, quia solam accentus habeat rationem (id quod de aliis Europæ linguis affirmant Wottonus & Vossius locis §. 19. hujus diss. citatis.) Quocirca oportet utique recentem poetarum consuetudinem veteri, & vulgares rhythmos concedere numero poetico Græcorum & Romanorum.

Morhof. de lingua & poësi Germ. p. 579. s.

Id. l. c. cap. VI de numero poët. p. 549. 559. 561.

conf. Vossio de rhythmo p. 33. & 43.

§. XXVI.

§. XXVI. Ita se res habet: sicuti statuarii & pictoris studium in eo potissimum versatur, ut, quoad ejus fieri possit, motum & vitam suis operibus affingant: ita græcus & latinus poeta, operam navat, ut numero, sine quo mortua res est omnis poetica dictio & sonus inanis, oratio excitetur. Poeticus siquidem numerus efficit, ut Poesis sit omnibus numeris absoluta & flexanima rerum Regina, nec modo mentis incitet tarditatem, inclinantem erigat, stantem inclinet, verum etiam aversantem repugnantemque ad se trahat, & quibusdam quasi vinculis constrictam atque alligatam vi quadam svavissima detineat, captivam ducat, suspendat, atque extra se rapiat. Recte proinde tradit Aristoteles artem poeticam in imitatione consistere: per quam actionum humanarum, morum atque affectuum expressionem Vincentius Madius, Lombardus aliique interpretes intelligunt. Qua arte Homerum super alios longe excelluisse quem fugit? Is vel una littera sæpe repetita rei naturam, & pelagi murmur hoc versu, secundum Vossium, explicavit:

Aristot. de pöetica edit. Cantabr. 1696 8. cap. I p. 3. s.

Homer. Iliad. l. 15. p. 762. edit. Comer fol.

ἀμφὶ δὲ τ' ἄκραι
Ἠΐονες βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω.

Non dixit βοάουσι sed βοόωσι, ad ampliorem similitudinem fluctuum maris exprimendam. Quod vocabulum tam apte positum, teste Vossio, adeo admirabatur Plato, ut non desint, qui scripserint eum præ desperatione istiusmodi ὀνοματοποιΐας formandi deterritum combussisse poemata sua, ne

Voss. de viribus rhythmi p. 52, 53.

nimium Hnmero inferior videretur. Illius etiam hæc tempestatis pictura est:

Longin de sublim. a Bolao versus c. 8. p. 39. 40.

> Ἐν δὲ ἔπεσ᾽ ὡς ὅτε κῦμα θοῇ ἐν νηῒ πέσησι
> Λάβρον ὑπαὶ νεφέων ἀνεμοτρεφὲς, ἡ δὲ τε πᾶσα
> Ἄχνῃ ὑπεκρύφθη, ἀνέμοιο δὲ δεινὸς ἀήτης
> Ἱστίῳ ἐμβρέμεται, τρομέουσι δὲ τε φρένα ναῦται,
> Δειδιότες τυτθὸν γὰρ ὑπ᾽ ἐκ θανάτοιο φέρονται.

Quibus versibus, secundum Longinum, Homerus singulos maris fluctus & nautarum pericula ante oculos quasi in tabula depicta vivide exposuit, nec secus versus torsit ac illos pavor mortis impendentis. illo ipso etiam vocum sono undarum in navem irruentium illisum, indeque ortæ perturbationis vehementiam efficacissime effinxit, ipsisque syllabis supra caput stantis periculi terrorem atque imaginē impressit. Itaquoq;, teste eodem Longino, Poetria Sappho violentiam amoris, ejusq; repugnantes affectus mirifice oculis subjeci oda quam gallice a se versam sistit.

Longin. l. c. p. 38.

§. XXVII. Maronem quoque hujus artificii peritissimum fuisse res ipsa & quælibet ipsius pagina ioquitur. Quam mira verborum pernicitate, frequentibus dactylis adhibitis, rapidum turris lapsum describit:

> *convellimus altis*
> *Sedibus, impulimusque, ea lapsa repente ruinam*
> *Cum sonitu trahit, & Danaum super agmina late*
> *Incidit.*

Pari ingenio temporis summam festinationem exprimit:

> *Sed fugit interea fugit irreparabile tempus.*

Spondæis autem Regis senis gravitatem imitatur:

> *Olli sedato respondit corde Latinus.*

Eosdem scite adhibuit in hisce versibus:

> *Illi alternantes multa vi prælia miscent.*
> *Illi inter sese magna vi brachia tollunt.*

Porro gestum, vestigiis fixis, oculos circumferentis refert hic:

Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit.
Et naturam æmulatur ille:
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
quocirca eum, more suo, repetit:
Quadrupedumque levis viridem quatit ungula terram.
Equi velocitatem cum itidem Ovidius animo subjicit hisce modis:

Nox superest, tollamur equis, urbemque petamus.
Dicta placent. frenis impediuntur equi.
Pertulerant dominos. regalia protinus ipsi
Tecta petunt: custos in fore nullus erat,

nullus equus, inquit Daniel Heinsius, ac vix cogitatio humana hanc celeritatem assequatur. Idem per elisionem equos cum versu quodammodo fecit subsistere:

Quadrijugos cernes sæpe resistere equos.

quo carminis exitu usus etiam Propertius est. Is admirabili judicio (verba sunt Jani Broukhusii Propertii redivivi) in ipsa pentemimeri syllabam elisit, quum o- „ stendere vellet Antaeum tam arcto nexu ab Hercule „ fuisse pressum, ut nullis omnino modis solvi posset, ni- „ si praefocata atque interstincta prius anima, itaq; cecinit: „

Broukh. in notis ad Propert- l. III. el. 21. p. 313. 314. edit. Amstel. 1702. 4 conf. p. 225. & p. 234.

Tu licet adspicias
Gerionae stabula, & luctantum in pulvere signa
Herculis, Antaeique, Hesperidumque choros; &c.

Hauserat hoc artificiũ noster de fontibus Maronianis: „
Tertia sed postquam congressi in prælia, totasque „
Inplicuere inter se acies, legitque virum vir: „
Tum vero & gemitus morientum, & sanguine in alto „
Armaque, corporaque & permixti cæde virorum „
Semianimes volvuntur equi: pugna aspera surgit. „
Ibi quoque rem ipsam vides atque intueris, non tantũ „
legis. Propertianam venerem bellissime expressit „
Flaminius: *mox vitam ipsam libabo animamque,* „
Cumque tuis miscebo ossibus ossa mea &c.

Protea vero admirabibiter expinxit Licentius:

Spumat aper, fluit unda, fremit leo, sibilat anguis.

Plura de numeris metricis, legi merentur apud Minturnum, & Vidam, qui de Christi morte his locutus est modis:

Supremamque animam ponens caput exhalavit.

§. XXIIX. Hujusmodi versuum artificio inductus J. A. Baifius non solum patriis rhythmis vale dicendum, verum etiam carmina more Græcorum & Romanorum facienda esse statuit: id quod ante illum tentaverat Stephanus Jodellus anno MDLIII. cujus hoc distichon citat Pasquierius:

Pasqu. liv. 7. de ses rech. ch. 12.

Phœbus, Amour, Cypris, veut sauver, nourrir & orner
Ton vers & ton chef, d'ombre, de flame, de fleurs.

neque tacet se ejusmodi elegiam finxisse, quamvis Baifii institutum non laudet. Idem tamen commendat Sanmarthanus, & rem vocat omnium applausu dignissimam, si ex se non ex inveterata hominum opinione penderetur. Baifium in hac arte Nicolaus Rapinus, teste Card. Perronio, superavit. Ex Italis Leonem Baptistam Albertum, idem genus versuum primum usurpasse memoriæ prodidit Menagius; idem qui alibi memorat Const. Hugenium suasisse, ut illud a Gallorum poetis reciperetur. Ego vero persuasum habeo genium linguarum popularium vetare, quo minus ad veterum numeros metricos poemata pangere possimus: quod argumentum Anonymus persecutus est luculenter. Neq; tamen rhythmos ad poema epicum adhibendos censeo: propterea quod ejus natura a paranomasiis prorsus abhorret atq; allusiones aversatur. Quoniã vero ne sic quidem ad Græcorum Latinorũq; dicendi vim & elocutionem poeticam assurgere, neque in verticem in quo Homerus & Maro constitit poterimus eniti; superest ut veterem Quiritium omniumque eruditorum sermonem ad præcellentissimorum poëmatum majestatem adjungamus, quicquid etiam Parrhasius contradicat, cujus rationes momento suo ponderare ad veritatemque revocare propediem pergam. Nunc

Sanmarth. elog. l. 1. p. 16. 17. l. 5. 149 s. Menage vie de P. Ayrault p. 97. Menagiana Tomo I. p. 119.

Anon. verba vid. in Biblioth. univ. anni 1688. n. 8. p. 219.

MANUM DE TABULA.